IO. CHRISTIAN. STEMLER D.

PASTOR ET SVPERINTEND. PLAVIENSIS

CVR

PAVCI SINT BONI SCHOLARVM RECTORES

DISQVISITIO

NOVI IN SCHOLAM PLAVIENSEM RECTORIS

INTRODVCTIONI

PRAEMISSA.

LIPSIAE

EXCVDEBAT IOH. GOTTLOB IMMANVEL BREITKOPF

A. R. S. cIↃ IↃ CC XXXXVII.

Q. D. B. V.

Mirum fortaſſe quibusdam videbitur, cum maximus eorum numerus ſit, qui ad theologiae ſtudium curamque conuertunt, quod magnae religionis ac doctrinae theologus, ALB. ZVM FELDE, commentari *de paucitate theologorum* * non dubitauerit. Sed hi erunt fere, qui ex errore imperitae multitudinis pendent, et theologos non, niſi titulo et profeſſione, metiuntur. Contra ea, qui rem ſuis aeſtimare momentis norunt, qui ipſa Chriſti verba Matth. IX, 37 certo iudicio ponderant, et qui difficultates operis, mores ſaeculi, aſperitates rerum, temporum anguſtias et perturbationem veteris diſciplinae conſiderant; mirari deſinent, et perſpicacis ingenii virum ſat graues habuiſſe cauſſas intelligent de paucitate theologorum exponendi; cum omnes illi, qui ſe theologos profitentur, et contraria ſuae profeſſioni omnia faciunt, praeclari nominis adpellatione indigni ſint, et ipſa iuris canonici

 ſen-

* Vid. ei. *Analecta diſquiſition. p. 94 ſeqq. cur pauci hodie ſint theologi.* Conf. SPENERI *conſilia et indicia theologica latina part II. cap. IV. art I. ſect. XV. p. 141 ſeq. Ordo noſter ſatis eſt numeroſus: ſi vero non titulis, non externa ſpecie, non illis, quae ſaeculum admiratur, ſed ex eo, quod res eſt, aeſtimemus ſingulos; vereor, ne longe anguſtior adpareat, quam quisque crediſiſſet.*

ſententia, mentiantur * diuinique illius ordinis vibices et maculae merito dici poſſint.

Equidem in eius commentationem, alias abs me laudatam, denuo nuper incidebam, in eaque videbam illum *pag. CX* queri, non minus eſſe paucos, qui ſcholis regendis cum laude praeſint, et quos Riuiorum, Neandrorum, Daumiorum ſimiles habere poſſimus, quam rari ſunt theologi. Quod grauiſſimi viri iudicium cum animaduerterem conſentientibus paene ſuffragiis non iniuſtorum rei aeſtimatorum confirmari **; aptum huic loco fore exiſtimabam, de paucitate bonorum ſcholae Rectorum diſquirere, et inueſtigare cauſſas, cur eruditi homines ad alia quaeuis gerenda, quam ad regendam gubernandamque ſcholam aliquam ſe accommodare malint.

Si ipſam prouinciam ſua praeſtantia et communi vtilitate metiaris; quocunque te animo et cogitatione conuerteris; paucas admodum inuenies, quae optatiorem bene faciendi occaſionem ſuppeditent. Quod enim munus adferre eccleſiae Chriſti et rei publicae maius meliusue poſſumus, quam ſi ciuibus noſtris viam religionis et optimarum artium tradimus, ſi formamus ad humanitatem ingenia; ſi docemus atque erudimus iuuentutem, his praeſertim moribus atque temporibus, quibus ita eſt prolapſa, vt omnium opibus coërcenda et refrenanda eſſe videatur ***. Si fructus habeas rationem, quem ex hoc labore in vita non modo, ſed in ipſa etiam poſteritatis memoria, apti ad docendum, ſuoque ſatisfacientes officio capiunt magiſtri: vberiorem, quam qui in eccle-

* *C. cauete 22 qu. 2.*

** Prouoco ad IO. HENR. BOECLERI iudicium: *Rarum munus prouiſu et ſollertia gubernare res ſcholaſticas. - - Legat, qui volet, deſcriptos literarum caſus, vices, interitus; aut, ſi nimis abſtruſa eſt haec Philoſophia, quaerat interim, fallendi temporis cauſſa, quot Roma felix, docta, copioſa Quintilianos numerauerit.* caetera. vid. *laudat. funebr. Berneggeri,* quae eſt in *oration. Boecleri N. IX. p. 168.* Conf. CASELIVS *epiſt. lib. I. epiſt. III. p. 18. lib. VI. epiſt. XVIII. p. 258.*

*** CICERO *de diuinat. lib. II. cap. II.*

eccleſiaſtico munere verſantur, ferunt. Qua ſola cogitatione, ſaepe numero audiui, bonos viros liquido confirmaſſe, omnes ſe moleſtias, quae cum ſcholaſtico puluere coniunctae ſunt, abſterſiſſe. Si dignitatem loci conſideres, tam contemta eſt, fateor, et abiecta eorum conditio, quibus traditae ſunt inſtituendae iuuentutis partes, vt ipſum ſcholae nomen multi faſtidiant: ſed quinam? vel inſipientes fortunati, quibus intolerabilius nihil eſſe poteſt, vel ingenia, quae ſunt a vera eruditione in ambitionem, ab ambitione in vecordes faſtus prona, vel ſine ingenio et litteris homines, auerſique a Muſis, quorum contemtus tantum abeſt, vt aliquid de dignitate loci, qui per ſe non obſtat honoribus, detrahere ac derogare queat, vt potius inſigniter eam augeat; cum in ſumma laude praeſtantium doctrina virorum ponatur, a ieiunis hominibus deſpici. Qui ſe non ipſos morum ſuorum ſordibus et paedagogicis ineptiis verae ſtudioſorum elegantiae virorum ludibrio exponunt, magno ſemper in pretio et honorati erunt apud omnes, qui litteras non contemnunt, quas pro nihilo habere nemo poteſt, niſi qui ſublatam e medio virtutem laudemque velit. Neque enim eo vſque corrupta et lapſa ſunt omnia, vt nullus plane *Cato* ſuperſit, qui olim ad honores ſenectutis, ſummis rei publicae muneribus perfunctae, hoc referebat, vt adoleſcentulos doceat, inſtituat, ad omne officii munus inſtruat; *quo*, addit, *opere*, *quid eſſe praeclarius poteſt* * ?

Plura eam in ſententiam diſputarem: ſed malo lectores meos ad elegantiſſimam proluſionem IO. MATTH. GESNERI *de felicitate docentium in ſcholis* ** remittere, quam ex his fontibus riuulos meos irrigare, et proferre in medium, quae tanti viri, et tamdiu magna varietate, in his rebus exercitati doctrinae non reſpondeant. Illud ſaltem dignum inueſtigatione videtur, quid ſit, cur eam felicitatem tam pauci cupiant, et cur contra

 tra

* CICERO in *Caton. maior. cap. IX.*

** Exſtat ea in *Opuſculis*, *tom. I. N. VI. p. 59 ſeqq.*

tra ea locum tam honorificum, tam amabilem et expetendum plurimi auerſentur, vt non difficile ſit libellum *de Rectore renitente*, *ſiue de fuga muneris ſcholaſtici*, ad exemplum illuſtris ICti CASP. ZIEGLERI, ſcribere, quem, conſtat, *de Clerico renitente*, ſiue de fuga miniſterii eccleſiaſtici, ex monumentis potiſſimum veteris eccleſiae diſſertationem concinnaſſe, immortalium meritorum theologo Martino Geiero dicatam *. Cum enim multi ſacra munera in ciuitate Chriſti non tam exſpectent, quam rapiant, et in ea, refractis reuerentiae pudorisque clauſtris, quaſi irruant; et cum candidatorum, quoties locus aliquis vacat, numerus iniri vix queat: anxie quaerendi ſunt ſcholarum Rectores, et quidem tales, quales eligendos eſſe iam olim Cicero et Plutarchus iudicarunt, qui nempe ſint optimi et probatiſſimi, τοις βιοις αδιαβλητοι, τοις τροποις ανεπιληπτοι, ταις εμπειριαις αριστοι **. Eorum enim nulla eſt penuria, qui, cum omnium ſcientiarum latitudinem, et ſublimitatem emenſos ſe eſſe iactent, bonae ſolidaeque artis vacui et expertes ſunt, et diſciplinae ſuae alumnos ſpolium ambitionis ſuae faciunt, iisque, ad ſeria ſtudia prouectis, praeter ſeram cognitionem ſtrenuae inertiae et moleſtiam dediſcendi nihil relinquunt. Nec deſunt, quos neceſſitas quaedam ad hoc vitae genus detruſit, et qui, repugnante et aduerſante natura ſua illud ſuſcipiunt; ex quo, ſi poſſunt, ſeſe celerrime expediunt. Hoc etiam adiungo, eſſe Conrectores, qui tametſi magna laude in re ſcholaſtica verſentur, tamen alieno ſunt a capeſſendo Rectoris munere animo, illud-

* Prodiit illa ſeparatim: exſtat etiam in opere eius *de Epiſcopo*. Conf. IO. FECHT. *de fuga Miniſter. eccleſiaſt.* et CASP. HENR. STARK *tractat. de vita priuata doctor. cap. II. §. V. p. 33.*

** CICERO *de offic. lib. I. cap. XXXIIII.* PLVTARCHVS *περι παιδων αγωγης, cap. VII. §. V.* conf. IO. ALPH. TVRRETINVS *de ſtudiis emendandis et promouendis* in *opuſculis eius tom. I. p. 147. Optandum vt nobilis illa inſtituendae iuuentutis cura non, niſi peritiſſimis et tum rerum notitia, tum docendi dexteritate, tum ipſo vſu ac prudentia ſpectatiſſimis committeretur*. caetera.

illudque, tamquam onus firmis humeris metuendum, vel deprecantur prorſus, vel repugnantes cunctanteſque et fere inuiti patiuntur ſibi imponi *. Immo vero theologi exſtiterunt omni laudum genere praeſtantiſſimi, qui, de ludo litterario recte inſtituendo conſulti, minus ſe rerum ſcholaſticarum peritos eſſe, confiterentur **.

Qua ex re iudicari facile poteſt primam paucitatis bonorum ſcholae Rectorum cauſſam eſſe magnitudinem et difficultatem muneris. Duas enim perſonas ſcholae magiſter ſuſtinet, quarum vna eſt doctoris, altera directoris ***. Vtraque virum poſtulat, in quo non vulgares ſint litterae, non exiguae dotes ingenii, non obuiae vbiuis virtutes, ſed exquiſitae. Qui optimas artes tradere aliis velit; doctrina, fide, induſtria, quanta fere in hominem cadere poteſt maxima, praeditus eſſe debet. Facultatem habeat oportet animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, pernoſcendi. Valere eum neceſſe eſt grauitate comitate temperata et quaſi condita: vacuus ſit a grauioribus animi perturbationibus: prudentiam ſequatur eam, vt nihil diſciplinae ſuae alumnis tradat, quod nimis ſit ab eorum intelligentia remotum, nihil niſi profuturum, nihil, quod neſciſſe rectius fuerit, doceat. Praeterea ordinem ſeruet accuratum, et, alia vt taceam, ad recta tendentibus viam exemplo monſtret.

Proponi in ſcholis optimi auctores ſolent; boni autem interpretis partes tueri magnae molis eſt †. Tanta enim in obſcu-

* Vid. IO. IAC. SCHVDT *de boni Rector. officio p. 358.* commentar. in Pſalm. CX.

** Vid. SPENERI *conſil. theol. german. tom. III. cap. VI. ſect. VIII. p. 376.* Ejusd. *Conſil. latin. part. III. cap. VI. art. I. p. 380.*

*** *Adoleſcenti in hoc lubrico aetatis non praeceptor modo ſed cuſtos etiam rectorque quaerendus;* PLINIVS *epiſt. lib. III. epiſt. III.* cum quo conferri velim SCHVDT. *de boni Rectoris officio p. 332.*

† PAVL. MANVTIVS *de difficultat. interpretationis* in *praefationib. p. 57.*

ſcuritate, tanta in varietate litterarum, tam recondita et multiplici in arte verſandum ipſi eſt; vt ſapienter omnino HVETIVS iudicarit, multo eſſe difficilius accurati interpretis officium explere, quam ornati ſcriptoris *. Itaque mirum non eſt, multorum ſtudia et voluntatem ab hac opera abduci.

Nondum autem bene ſatis prouinciam ſuam adminiſtrat ſcholae magiſter, qui bene docet: ſunt alia non minus ardua, quae ad regendam ſcholam pertinent. Sanctiſſime nimirum prouidentiſſimeque cauendum, ne diſciplina vigorem ſuum amittat, ſine qua actum eſt de ſchola: igitur quae lapſa fluxerunt, ſeueris legibus ſunt vincienda: nihil indulgendum eſt licentiae, quae leges perfringit; ſed omne tamen genus cautionis adhibendum, ne ſeueritas in odioſam moroſitatem incidat, et caſtigatio vitiorum ad caſtigati vtilitatem neutiquam referatur. Ordinandi ſunt docentium labores: cuſtodienda inter collegas concordia: opportunitas idoneorum ad agendum temporum obſeruanda. Quae omnia quantum adferant difficultatis, et quantam poſtulent induſtriam, intelligent omnes, in quibus aliquid eſt, non dicam ſapientiae, ſed ſanitatis.

Augetur Rectoris labor et moleſtia, mutata iam ſtudiorum ſcholaſticorum ratione. Poſt ſacra repurgata et litteras a barbarie vindicatas, ita ſcholae magnorum virorum prudentia conſtituebantur, vt, ſi quis Latinos Graecosque auctores explicare poſſet, cum laude ſcholam moderaretur; nec opus haberet, hos ſcholaſtici curriculi limites tranſire: quia diligentiſſime in academiis omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, colebantur. Iam autem illae ex academiis in ſcholas remiſſae ſunt, iubenturque Rectores, praeter commemoratas linguas, etiam hebraicam et patriam gallicamque docere: formare debent oratores et poetas: accedat oportet omne genus hiſtoriae, ad quam Geo-

* *de interpretatione lib. I, p. 6 ſ.*

Geographia et antiquitates referuntur, neque Matheſis, pro conſuetudine ſaeculi, negligi debet; cumque tot ac tam diuerſis ſtudiis iam ſatis docentium ac diſcentium animi diſtrahantur; tamen ab illis philoſophicarum etiam ſcientiarum doctrina quaſi iure quodam exigitur *. Vix Proteus ille Homericus, varius ac multiformis,

Παντα γινομενος, οσσ᾽ επι γαιαν
Ερπετα γινονται· **

omnia factus, quaecunque in terris repunt, in tot vnquam diuerſas formas ſe vertit, quot Rectorem ſcholae, praeſertim triuialis, ſubire nonnulli vellent.

Quo autem plus oneris, amplificatis ſtudiorum ſcholaſticorum finibus, docenti imponitur; eo minus diſcentes ferre volunt; ſed, pro libidine ſua, ſtudia coarctant et praecipitant: ſtatim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia, verentur neminem, neminem imitantur; a ſe ipſis exempla petunt, ſibique praefidentes et inflati opinionibus, in tanta eorum copia, quae traduntur in ſcholis, aut inanes crudisque ſtudiis ex illis in academias feſtinant, aut venditatione eruditionis, cui ſolidi nihil ſubeſt, auctoritatem magiſtrorum dedecorant et ſcholarum.

Quis ergo miretur, paucos inueniri bonos vſuque probatos Rectores; cum pauci ea ſint inſtructi copia et varietate artium, quae, pro ambitu ſtudiorum ſcholaſticorum, noſtra aetate Rectori neceſſaria putatur. Finge etiam, eſſe plurimos, qui ea

 omnia

* Quae breuiter ſtrictiſſimque tetigi, pluribus expoſuit doctiſſimus MICH. HENR. REINHARD, quem ampliori muneri iam praefici laetor, in progr. *de ſtudior. ſcholaſtic. ratione apud Proteſtantes in confin. ſaec. XVI et XVII commutata*, et in *examine querelae de latin. lingua iuſto diutius diſcenda* p. 10 ſ.

** HOMERVS, *Odyſſ. IV*, 417.

omnia ſcientiae peruestigatione comprehenderint; cum perdiſficile ſit elaborare in vno: quem non ſubit taedium muneris, vt magni, ita moleſtiſſimi, in quo vsque ad extremum ſpatium nullum fere tranquillum et otioſum ſpiritum ducere queat? quis frangi ſe tantis laboribus cupit, quantis vix exercentur homines aut nulla, aut humili aliqua arte praediti? quis denique ſuis rebus et commodis tam parum ſeruit, vt loco, in quo vitam degat, quae nullam habeat moleſtiae intercapedinem, non praeferat alium, in quo aetatis ſuae tempus tranquille et ſine magna contentione poſſit traducere.

In omnibus negotiis, priusquam illa adgrediare, diligens adhibenda eſt praeparatio: nam cum magni eſſe momenti opus nemo neget, erudire iuuenes et ſcholam aliquam regere; publicae vtilitatis ratio ſuaderet, mature exquirere apta ingenia, quae ipſa cupiditate ad illud trahantur, eorumque neceſſitati, vt in ſuſcepto conſilio permaneant, liberaliter ſubuenire, ne ſubſidiis careant; ſeminaria conſtituere in academiis, ex quibus peti poſſint, qui in vſu habeant, quod doceant alios, magiſtri. Apud nos contra pauciſſimis in hoc vno ſtudio defixus eſt animus, quo ad docendas in ſcholis artes praeparamur: plerique pluribus intenti ſunt, ignari, qua olim perſona ſint induendi: ex quo illud oritur incommodi, vt paucos habeamus Rectores, qui excellant.

Accedit communis optimorum etiam ſcholae magiſtrorum ſors, exigua merces pro magna opera. Iudice PLINIO non exquiſitis modo adhortationibus, ſed praemiis etiam impetrandum eſt, vt quis educationis taedium laboremque ſuſcipiat *: vetus autem illa SENECAE querela in noſtra etiam tempora con-

* *Epiſt. lib. I. epiſt. VIII.*

conuenit, numquam eos magnas accipere mercedes, qui *hermeneumata* docent *; quo nomine linguarum ſtudium intelligit. Quae res quem habeat euentum, non alio teſtimonio melius declarare poſſum, quam IO. CASELII, de cuius in rem ſcholaſticam meritis nulla vmquam aetas conticeſcet. Ita nimirum ille: *Operae pretium eſt videre qui fiat, vt, in ipſis etiam academiis, penuria ſit praeſtantium virorum, qui non ſolum ſcientia abunde inſtructi ſint, ſed etiam in docendo diſerti, nec leuiter ante verſati. Primum vbi merces docenti tribuitur, vnde ſolus in diem vix viuat, quis eum locum ambiat, niſi qui eruditionis nihili et nullius ſit ingenii? Demus, eſſe praeſtantem, de cuius tamen induſtria hactenus non conſtiterit, cui munus docendi detur: verum de alio magis, quam de eo, quod adeptus fuerat, ornando cogitare neceſſe habet. Forte non ſegniter gerat munus ſuum: ſed maiore cura adfectabit aliud* **. Conſentit GE. CALIXTVS, cuius *de emendatione ſcholarum et delectu praeceptorum* *** conſultatio multa continet ſalutaria, quae, ne longius, quam propoſita ratio poſtulat, prouehar, omitto; nec moleſtus eſſe lectoribus volo aliarum commemoratione miſeriarum, quae pridem ſcholaſticae vitae genus, quo, teſte PLINIO, ſincerius nihil et ſimplicius eſt, delicati faſtidii hominibus inuiſum fecerunt. Cum enim tam pleni querelis ſint omnium libri, tam plenae omnium voces, vt modum multi exceſſerint, et quaedam aſpere nimis parumque religioſe in ſcholas dixerint †: praeſtat, mea quidem ſententia, ea ſilentio praeterire, quam odioſa oratione repetere.

 Vnum

* *Controuerſ. VIIII, 3.*

** *Epiſt. lib. I. epiſt. III. p. 18.* Conf. BVRCHARDI *epiſtol. de meritis Io. Caſelii p. 47.*

*** *Orat. ſelectar. p. 33 ſeq.*

† GVID. PATINVS illud *Luciani* ſuo calculo probauit, quem oderint dii, hunc ſcholae Rectorem eos facere, et inſtituentes adoleſcentes damnatos eſſe ad be-

Vnum hoc adiicio, callidiſſimum mihi videri inuentum Satanae, cuius regno ſcholae bene conſtitutae peſtem ac perniciem adferunt, conuicium huic inſtituto ſalutis pleno facere et variis impedire artibus, quo minus docti piique viri implicari illo velint. Quis autem non grauiter ferat, ab ipſis etiam ſcholaſticarum rerum procuratoribus cauſſam mali a quibusdam deriuari et hanc illis labem adſpergi, quod iniuriis plerumque bonos viros, qui ſcholis praefecti ſunt, adficiant, et, quamuis ipſi expertes ſint earum artium, quas Rectores docent, a nutu tamen ſuo et arbitrio eos pendere velint; et, quas minuere debebant, moleſtias augeant. Malle igitur honeſtos viros extrema omnia experiri, quam ſtulta et barbara arrogantia elatorum imperio ſubeſſe, et eorum iniuriis excruciari *.

Equidem cauſſam mei ordinis hominum omnium agere non poſſum. *Sint quidam ignari ſcholaſticorum ſtudiorum ſcholae Inſpectores; ſint moroſi ac difficiles, ſint praeter aequum et bonum duri:* num fas eſt nonnullorum culpam in omnes conuertere et ad ordinem vniuerſum referre, quod ad pauca illius membra pertinebat?

Verum in re aperta nolo eſſe longior: praedicandam potius prouidam DEI OPT. MAX. in conſeruandis ſcholis curam arbitror, cuius in eo clariſſima documenta elucent, quod, etiamſi vulgaris opinio Rectores ſcholarum putet onus ſuſtinere Aetna grauius, numquam tamen deſunt, qui munus tam laborioſum, tam plenum taedio, ſed ipſa difficultate fructuoſum et vtile, aequo

bestias, teſte MARVILLE *dans ſes Melanges tom. II. p. 269.* conf. b. IO. DAV. SCHREBERI, cuius apud me ſancta ſemper erit memoria, *Praeceptores in ſcholis θηριομαχοῦντας.*

* Vid. vit. Iac. Frid. Reimmanni: *Ich glaube, es ſey verkehrt gehandelt, daſs den Predigern die Aufſicht über die Schulcollegen anvertrauet: da den Schulcollegen die Aufſicht über die Prediger anvertrauet werden müſſte.*

quo animo in ſe non ſuſcipiunt modo, ſed ſuſcepti etiam officium ſumma laude exequuntur. Neque tam laſſum, tam effoetum ac ſterile eſt ſaeculum noſtrum, vt non ſubinde ſe proferant atque oſtendant viri, quibus limandorum et poliendorum ingeniorum cura mandari commode poſſit. Habet illud ſuos Bergeros, habet Geſneros, habet Schwarzios et Erneſtios, habet alios viros, inter praecipua aetatis noſtrae ornamenta referendos, ex quorum ſeminariis Rectores ſcholarum praeſtantiſſimi prodeunt.

Vellem, omnes earum patroni partibus ſuis ſatisfacerent, nec paterentur in ſe quicquam ſtudii et curae deſiderari; quoties iuuentuti moderatores praeficiendi ſunt. Quo nomine, ingratus et iniquus eſſem bonorum noſtrorum aeſtimator, niſi ampliſſimos huius ciuitatis patres, quorum tutelae lycei patrii ſalus diuinitus commiſſa eſt, mirifice laudarem. Cum enim non ignorent, magni intereſſe ad laudem et decus ciuitatis, ſi ſcholam habeat bene ordinatam, et nihil ſe praeſtare melius patriae poſſe, quam ſi iuuentuti eos praeficiant magiſtros, qui ita munus non quidem populare, ſed vtiliſſimum ornent, vt non ſolum ciuium liberi ex eorum diſciplina largiſſimos fructus capere, ſed a finitimis etiam ſtudia hinc peti poſſint *: omnem in eo curam et cogitationem collocarunt, vt optimo Viro, M. GOTTLIEB FRIDER. IRMISCHIO, ſub finem ſuperioris anni, in medio vitae curſu, ſuis et ſcholae erepto, ſucceſſor daretur, qui eadem fide, doctrina, prudentia, induſtria et pietate, qua IRMISCHIVS, ſcholae praeſit. Et quamuis non vnum impedimentum conſiliis eorum obiiceretur, nec facile eſſet, inuenire virum, cuius iam perſpecta virtus in hoc genere eſſet, fallentibus ſpes noſtras nonnullis, quorum magna eſt exiſtimatio, qui mutare locum nolebant: non defatigati tamen ſunt

* PLINIVS *lib. IV. ep. III.*

in ſtudio quaerendi; interpoſita mora, cuius eos, vt ſpero numquam poenitebit. Qui enim, non ſine diuino conſilio conſtitutus eſt, communibus ſuffragiis, Rector, Vir nobiliſſimus atque clariſſimus M. CHRISTOPH. IEREMIAS ROSTIVS, Grimmenſis Miſnicus, tarditatem operis exquiſita eruditione ſua et diligentia compenſabit. Qua in opinione de eo concepta nos non modo ſtudiorum ratio, quam in illuſtri ſchola prouinciali, qua patria eius inſignis eſt, iniit, et per X annos Lipſiae incredibili induſtria continuauit, ſed etiam egregia, quae edidit, ſpecimina *, et commendatio virorum, qui aptiſſimi ſunt ingeniorum iudices, et in ſumma celebritate verſantur, non parum confirmant. Vt autem ordine omnia fiant, nos pro auctoritate nobis conceſſa illum craſtino die *poſt horam VIII matutinam* more inſtitutoque veterum in ſcholam inducemus, praemiſſa oratione, quae breuiter exponet, *quid emendatione ſcholarum adhuc tentata deſiderari poſſe videatur:* Excipiet eam noui Rectoris aditialis oratio de eo, quod gramatices ſtudio puerorum ingenia exacuantur.

Quemadmodum autem ſcholae florem in praecipua curae noſtrae parte ponimus, atque ex animo volumus, vt vniuerſa Variſcia noſtra ſimilis ſit Ithacae, Vlyſſis patriae, quam *τρηχειαν, αλλ αγαθην κουροτροφον*, *aſperam quidem terram*, *ſed bonam puerorum altricem*, Homerus nominat: ita ampliſſimum Senatum, ſcholae patronum, et caeteros, qui ei fauent, in communionem votorum, pro eius ſalute publice faciendorum vocamus, atque ab eis, vt actui ſolemni frequentes interſint, etiam atque etiam contendimus. P. P. DOMINICA IX poſt TRINITATIS A. R. S. cIↄ Iↄ CCXLVII.

* 1) Sunt vero ſequentia: Epiſtola de iis quae impediunt, quo minus, eſſe Deum, a priori demonſtratum, dici queat. Lipſ. 1741. lit. Breitk.
2) Commentatio de abuſu ad Coll. II. v. 22. Lipſ. 1744. lit. Breitk.
3) Diſſertatio de numeris orationi aptis. Lipſ. 1746. lit. Breitk.
4) Diſſertatio de vinciendis in compoſitione verborum extremis. Lipſ. 1747. lit. Breitk.